HUGO DE SANCTO VICTORE

Entstehungsort unbestimmt, 12. Jh. Seite 29r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35481
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

buisset. Proposuit et diabolus sacramenta sua quibus suos sibi alligaret quatinus ab illis quod ei impium delectabat. quanto eos manifestius discerneret. tanto securius possideret. Cepit ergo genus humanum mox in partes contrarias dividi. aliis sacramenta suscipientibus diaboli. aliis vero suscipientibus sacramenta Christi. et facte sunt due familie. una Christi. altera diaboli. Quod enim verbum incarnatum diximus. nunc regem quia hic mundum intravit per assumptam humanitatem cum diabolo bellaturus. et eum exinde quasi tyrannum et violentem in alieno dominantem expulsurus. Et quod omnes sanctos priores qui ante incarnationem ab initio fuerunt electi appellavimus. nunc milites quasi quosdam optimos regem venientium in acie precedentes. ipsis quibus tunc sanctificabantur sacramentis quasi quibusdam armis muniti atque premuniti. Quod deinde eos qui post incarnationem usque ad finem mundi electi subsequuntur. nunc milites alios nunc tamen alium. sed ipsum regem suum precedentem unanimiter atque alacriter subsequentes. habentes et ipsi arma nova. novi tamen ab eodem armati. et contra eundem pugnaturi. Sive ergo precedentes sive subsequentes uni regi sacramenta portantes. uni regi militantes. et unum tyrannum superantes. illi venturum precedentes. isti precedentem subsequentes. Unde patet quia et ab initio et si non nomine. re tamen christiani fuerunt. Tria enim sunt tempora per que presentis seculi spacium decurrit. Primum est tempus naturalis legis. secundum tempus ~~gratie~~ scripte legis. tercium tempus gratie. Primum est ab Adam usque ad Moysen. secundum a Moyse usque ad Christum. tercium a Christo usque ad finem seculi. Similiter tria sunt genera hominum id est homines naturalis legis. homines scripte legis. homines gratie.

Homines naturalis legis dici possunt. qui sola naturali ratione vitam suam dirigunt. vel potius homines naturalis legis dicuntur qui secundum concupiscentiam in qua nati sunt ambulant. Homines scripte legis sunt hii qui ex